

sonarum et uniuersitatis dicte ciuitatis Ragusii presentia et futura. Et pena soluta uel non nichilominus omnia et syngula supradicta in sua remaneant firmitate. Actum Spaleti in statione Çori ser Petri Camurcii ubi manet Baldus speciarius, presentibus magistro Raynaldo medico cirugico de Tolentino salario comuniis Spaleti, Alberto speciario et Facio quondam Minicimatore testibus, et Duymo (Berta)ni examinatore.

XVIII

1344, 15 febbraio.

IV, II, 26 v.

(*Protocollo c. s.*): Die XV mensis februarii. Magister Jacobus de Padua medicus physicus, coram me notario, testibus et examinatore infrascriptis, fuit contentus et confessus fore sibi integre solutum et satisfactum ab Jacxa Petri Petrache, tanquam massario comuniis Spaleti, dante et soluente uice et nomine dicti comuniis, de omnibus et syngulis que contra ipsum comune petere posset pro suo salario per totum tempus quo fuit ad salarium comuniis predicti usque in hodiernum diem, de quibus omnibus generaliter fecit dicto Jacxe massario, recipienti uice et nomine dicti comuniis, generali finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius aliquid non petendo, uolens quod omne instrumentum seu scriptura si qua apparent sint cassa, uana et cancellata et nullius ualoris, promictens per se et suos heredes et successores dictum comune decetero non molestare, petere uel inquietare in iudicio nec extra, occasionibus predictis, sed dictam quietationem perpetuo firmam et ratam habere et tenere cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium suorum bonorum. Actum Spaleti in loggia comuniis, presentibus Janne Volcine et Janne Egidii et Petro Muscieuich de Sibinico testibus, et Duymo Bertanni examinatore.

XIX

1359, 1 aprile.

IV, III, 18/30 v. 23/36 v.

(*cc. 18/30 v.*): In dei nomine amen. Anno a natuitate eiusdem millesimo trecentessimo quinquagessimo nono, indictione duodecima. Regnante domino nostro domino Lodouico dei gratia serenissimo rege Hungarie, temporibus quidem reuerendi patris domini Hugolini eadem gratia archiepiscopi Spalatensis, egregiorumque uirorum dominorum Çucii Buchamaioris, Theodosii Leonis et Domaldi Nicole consulum, atque nobilium uirorum dominorum Gregorii Petri, Stephani Miche et Nicole Petri Nicole, iudicum ciuitatis Spaleti.